

15


Ep 965

Ep 60

~~Mar. 15.~~



Post 166-120



Vol 9. 1350

DE
ORIGINIBUS LINGVAE
POLONICAE

Commentatio

Ad

V I R O S

MAXIME REVERENDUM AMPLIS-
SIMUM DOCTISSIMUMQUE

DOMINUM

CHRISTOPHORVM
ANDREAM GERET

*Rev. Ministerii Seniore[m] & Pastorem cœtus diviniore[m]
in civitate veteri*

Nec non

ADMODVM REVERENDVM EX-
CELLENTISSIMUM DOCTISSIMUMQUE

DOMINUM

M. PETRUM IAENICHIUM

Verbi Divini Ministrum ejusdem cœtus

& Gymnasii Rectorem

PATRONOS SVMME COLENDOS

quam

Ipfis novi anni auspiciis
gratulabunda demississimaque mente

offert

JOANNES DANIEL HOFFMANN.

Ministerij Candidatus.

Jotun 1730



DE
OBLIGATUS LINGVAE

LOMOVAE

1512

1512

MAKNE REVE... IN...
1512

MAKNE REVE... IN...
1512



2614




MAKNE REVE... IN...
1512

MAKNE REVE... IN...
1512

Pol. 8, II, 1366





Um antiquissimæ gentis, quæ turrin
Babylonicâ condiderat, lingua primigenia
mirifice confunderetur, unde multitudine
innumerabiles fere lingvæ exortæ sunt,
tot ac tantas mutationes hæ subierunt,
ut non sine difficultate illarum origo
nunc indagari possit. Dispersis enim per
totum terrarum orbem populis, plerique
acceptam a majoribus linguam tam tenaciter
servare non poterant, quin eam frequenti
commercio cum finitimis & procul disiunctis
a se gentibus immutassent, commiscuissent
& depravassent. Accedit, quod sæpius
excitæ sedibus suis gentes totum fere orbem
peragrarent, & ubicunq; terrarum domicilium
omnium rerum ac fortunarum suarum
collocarent, & mores & linguam eo
transtulerint, quæ non potuit non admodum
permisceri ac tandem maximam partem
oblivione deleri. Hinc mirum non est, quod
si gentium remotissimarum lingvæ amica
& quasi materna quadam cognatione
secum sint conjunctæ, aut in iis, quæ
jam pridem oblitteratæ sunt & obsoletæ,
originis suæ luculenta vestigia reperiantur.
Nihilominus multa tam abdita, incerta
& abstrusa sunt, ut in scrutandis
lingvæ cujuscunque originibus magis
ingenio indulgisse, vel rivulos consecrari
videamur, quam ipsum fontem, ex quo
dimanavit. Satis hoc declarant magni
conatus, dispares licet, virorum doctissimorum.
Ita enim JO. GOROPHUS BECANUS &
ADRIANUS SCHRIECKIUS ex Cimbrica
sive Belgica lingua, JACOB. HVGO ex latina,
JO. PETRUS ERICUS

A

ex



ex Græca, JO. WEBBE ex Sinenſi, GEO. STIERNHIELM
 OLAUS RUDBECKIVS, SALMASIVS, BOXHORNIVS
 aliique ex Svedica ſive Scythica, omnium lingvarum pri-
 mordia deducere voluerunt. Nimirum his tantam vim tri-
 buunt, quantam ipſa primigenia lingua Hebræa, niſi per
 miraculum, adferre non poterat, ut ſola tot lingvarum fons
 & origo extitiſſet. Quacunque vero de cauſa factum ſit,
 ut excellentes ingenio viri ad illa ſtudia mentem ſuam con-
 tulerint, id tamen indicio eſſe poteſt, quam difficile ſit, tot
 propaginum matricem, ut SCALIGER loqui amat, inve-
 ſtigare.

Non minor eſt difficultas, in quam delabuntur illi,
 qui omnem laborem & induſtriam in originibus LINGVAE
 POLONICAE exquirendis ponunt. Hanc enim mirificus
 ille conſenſus, qui ei cum aliis lingvis eſt, parit, ut dubium
 ſit, quænam vera illius ſcaturigo exiſtat. Et quanquam inter
 omnes conſtat, proximam ejus ſtirpem eſſe linguam Slavo-
 nicam, a qua tantum dialecto differt, tamen cum hæc ortum ſu-
 um habeat ab aliis longe antiquioribus, ab iisdem quoque
 illius originem multi arceſſunt, quas nunc ordine, ſi quid eſt
 eſt in me virium, evolvam. Quod ad linguam SLAVONI-
 CAM attinet, mater quidem admodum fœcunda fuit, nec
 tamen exiſtimo tot edidiſſe partus, quot EDVARDVS
 BERNHARDVS Anglus animo ſuo conceperat. Is enim
 Anglo-Saxones, Islandos, Danos ſive Gothos & pleroſque
 non ſolum Germaniæ, ſed etiam omnis fere Europæ po-
 pulos a Ruſſis & Slavis cum linguam tum genus accepiffe
 arbitrabatur (1), quos tamen ortu, lingua, inſtitutis inter ſe
 differre alii iam pridem demonſtrarunt. Quanquam vero
 lingua

(1) v. Epistolam ejus ad GEO. HICKESIVM *Etymologico Britannico*
præfixam & *Monathliche Unterredungen An. 1691. p. 739. ſeq.*

lingva Slavonica vix unquam ultra hosce limites, quibus nunc continetur, latius manavit, exceptis quibusdam locis; tamen intra eosdem, qui longe lateque patent, non paucis diffundebatur ramulis, qui nunc peræque in maximis amplissimisque regnis florent. Nationes reperiuntur numero LX apud GESNERVM, (1) quæ omnes lingua Slavonica utuntur, cujus dialecti ut pauciores, ita maxime memorabiles sunt. Eminent inter has dialectus Polonica, quæ reliquis tanto tersior & svavior, quanto cultior politiorve est. Hoc enim præcipuum istius lingvæ est, ut, dum aliæ dialecti fere ab origine ultima plane non immutatæ sunt, illa indies magis magisque exulta fuerit, adeo, ut non parum deflexerit a stirpe sua. Ne vero in re nota & pervulgata multus sim, ostensurus, quod illa genuina lingvæ Slavicæ, quemadmodum ipsa natio Polonica Slavorum, propago sit, unum commemoro autorem ADAMVM BOHORIZVM (2) qui non tantum Moscoviticæ, Rutenicæ, Bohemicæ & Lufaticæ, verum Polonicæ etiam lingvæ cum Dalmatica & Croatica cognationem indicavit. Cum quo illi consentiunt, qui in Europa quatuor præcipuas lingvas Latinam, Græcam, Teutonicam & Slavonicam, a quibus reliquæ progignuntur, esse statuunt, utpote SCALIGER, (3) BECMANNVS (4) & alii plures.

Sunt tamen nonnulli, qui originem lingvæ Polonicæ altius repetendam esse ducunt, ita, ut SCYTHICAM illius æque ac Slavicæ lingvæ fontem existiment esse: ad

A 2

quo-

(1) In Mithrid. c. 2. p. 69. seqq.

(2) In Artificis Horulis succisvis de Latino. Carniolana literatura ad latinæ lingvæ analogiam accommodata. qui liber pervarus prodit Witteb. 1584. in 8vo teste MORHOFIO Polyb. T. I. L. VI. §. 3.

(3) In Epistola de lingvis Europæis.

(4) In Hist. Orbis Terrarum c. IX. sect. 3. de lingvis.

quorum sententiam ii maxime accedunt, qui non dubitant affirmare, præter Hebræam tres antiquissimas patriasque linguas esse, Celticam, Scythicam & Græcam. Commemorandi hic sunt inprimis HORNIVS (1) PAVLVS HACHENBERGIVS (2) & CL. V. D. V. E. LOESCHERVS (3) qui ex Scythica lingua Moschicam, Slavonicam, Illyricam, Bohemicam & Polonicam prodiisse diserte tradit. Neque sum nescius, istud a plerisque viris eruditis adfirmari solere. At vero tantum abest, ut ex illa stirpe orta fuerit, ut potius aliunde origo ejus arcessenda sit, si modo vocis *Scythiæ* complicata notio accuratius evolvatur. Scythæ olim erant multitudine innumerabiles, locis infiniti, omnique nationum genere abundantes. Ignoracione vero Græcorum pariter ac Romanorum factum est, qui ad eos nunquam commearunt, ut etiam diversissimæ ab his gentes, quæ terras versus Septentrionem incolebant, uno Scytharum nomine appellarentur. In horum numero Sarmatæ fuerunt, qui & moribus & lingua a Scythis disjuncti intra Boristhenem & Tanaim fluvios habitabant, ac deinde ad Vistulam sedem suam figentes, primum Venedi, postea Slavi ac tandem Poloni vocabantur. Nihilominus istæ tam occidentis quam orientis partes a Scythis nomen adeptæ sunt, quum illæ nomine Scythiæ Europææ, hæ autem Asiaticæ a priscis Geographis notabantur. (4) Quod si igitur lingua Scythica ab his nomen trahit, qui ab origine ultima Scythæ erant & partim intra, partim extra Imaum montem habitabant, nemo, quan-

(1) v. præfationem ejus in BOXHORNII *Origines Gallicas*.

(2) *In Germania media* p. 234.

(3) *De causis linguæ Hebr.* p. 12.

(4) CLVVERVS *in introd. Geogr.* L. IV. c. 17. & L. V. c. 2 conf. STRABO, PTOLOMAEVS.

quantum scio, hucdum indicare potuit, quæ & qualis illa fuerit. OTROKOCVS (1) quidem demonstrare contendit, linguam Hungaricam genuinam vetustissimæ linguæ Scythicæ propaginem esse. Et si hæc vera sunt, quæ magno eruditionis apparatu confirmare studet, sane ea ita comparata est, ut, quemadmodum a reliquis Europæ lingvis, ita a Slavica, ne dicam Polonica, quam maxime discrepet, quæ nulla cognatione inter se continentur. Nonnullæ voces, quæ eandem significationem habent, eundemque sonum fundunt, levissima sane ortus sui documenta sunt, alias dicendam foret, Germanicam quoque antiquissima linguæ Persicæ stirpe profectam esse, eo quod voces quædam utriusque sunt communes. Si denique per Scythicam linguam intelligitur ea, quæ Henetis, sive Roxolanis, sive Sarmatis, oræ Mæoticæ intra Boristhenem & Tanaim amnes incolis, propria ac deinceps cum iisdem gentibus ex Sarmatia Asiatice in Europæam translata propagataque fuit, profecto plane non alia erat, ac quæ novissimis temporibus Slavonica vocabatur. Hosce enim populos non solum recentiores solertius curatiusve, quam veteres a Scythis seiungunt, verum etiam si non æque antiquissimi ac Scythæ regionum istarum incolæ censendi sint, tamen ab aliis plane populis atque a Scythis originem duxerunt, a quibus lingua Slavonica pariter ac Polonica meliori jure derivari posset. Et quamvis illi indivulsi Scytharum socii, qua itineris, qua bellicarum expeditionum, qua rerum fortiter ab iis gestarum essent, tamen consequens non est, quod non peculiari propriaque lingua usi fuerint. In Hungaria, quam una gens

A 3

olim

[1] v. *Origines Vngaricæ, quarum partes II, Francqveræ 1693. in 8. prodierunt.*

olim infederat, septem lingvas maxime diversas reperiri, testis est OTROKOCVSVS (1) Quin de ipsis Scythis HERODOTVS (2) scribit, habitasse quosdam antiquissimis temporibus in illis regionibus, quæ septentrionem spectant, ad quos ubi alii discendi causa demigraverant, septem interpretes totidemque lingvas adhibuisse. Cogitabam primo, quemadmodum hæc in Sarmatas quoque accommodari possent, verum mutavi deinde mentem meam, propterea quod non solum istos nomine suo compellat, sed nimis etiam diffitos septentrionem versus esse testatur. Certe non dialectorum, verum lingvarum mentionem facit, quæ utut admodum dissimiles, non tamen insolentes in una gente erant. Quod si porro lingua Scythica eadem sit, quam, & quicquid veteres de Scythis memoriæ prodiderunt, Gothis suis, quos priscos Scythas fuisse arbitratur, RVDBECKIUS (3) tribuit, ex qua omnes fere linguas in Europa ortas esse putat, facile cognoscent omnes, subtilius hæc dici, quam confirmari. JO. MAGNVS, JORNANDES, CRANTZIVS (4) tum demum in Scytharum terras fecisse incursiones Gothos, unde nomen Scythici populi adepti sunt, & Rugorum Venedorumque regiones occupasse aiunt, cum jam lingua Slavonica in Sarmatia Asiatica juxta ac Europæa longe lateque pervagata esset. Si qui etiam linguam Scythicam eo sensu ita appellant, ut illa omnes linguas septentrionales, quæ ex fonte Hebraicæ linguæ promanarunt, eo nomine complectatur, quemadmodum omnes Japheti posterii, qui septentrionem versus commigrarunt, Scytharum nomine a multis vocari solent, quis non videt, Scythicam
&

[1] *l. c. P. I c. § 1. p. 18.*

[2] *In Melpom. L. IV.*

[3] *In Atlantica T. I, c. 10.*

[4] *conf. SCHURTZFLEISCHII diff. de rebus Svedo Getbicus §. 6. p. 10*

& Slavonicam s. Polonicam lingvam hoc modo inter se sororio vinculo contineri, quarum idem ortus est & origo communis?

Ad hanc igitur jam progredior, quæ est lingua HEBRÆA. Non credo, fore quemquam, qui eam primam omniumque antiquissimam esse neget: quum isthoc nihil nunc exploratius est. Hoc autem posito, ut omnium lingvarum, ita Polonicæ lingvæ primordia, nisi me omnia fallunt, ex illa quam tutissime ducuntur. Non enim novæ creabantur lingvæ, neque vetustior illa abolebatur, cum DEVS eam singulari ratione confudisset, quin potius miris modis cōmiscebatur, hinc non potuit non fieri, quin aliqua istius propaginum vestigia in illa apparerent. Cum vero ex his, quæ supra commemorata sunt, pateat, lingvam Polonicam necdum eo tempore exortam fuisse, ex quo confusio lingvæ primigeniæ facta est, quæ postea multo serius efflo- ruerat, aliis opus est lingvis, quarum subsidio illa ex Hebræis fontibus eo facilius poterit derivari. Quocirca sine cognitione Slavonicæ lingvæ, quæ stirpi propior est, gravis erit ac inanis ferme labor. Non tamen est inficiandum, plerarumque vocum origines in Hebræa lingua frustra quæ- ri, quoniam non paucæ ejus radices jam olim interierant. Multum ergo juvabit lingua Chaldaica, Syriaca & Arabica, omnes proximæ istius propagines, in quibus non obscura originis suæ vestigia adhuc extant. Hoc itaque modo mul- to plures Polonicæ voces ex Hebræa lingua deduci possunt atque ANONYMVS (1) quidam opinatur, qui propterea etiam negat, lingvam Polonicam ex Hebræa posse derivari, quod una vox *Dziewka* hebraice שִׁפְחָה (*Schiphcha*) an- cilla & forsan aliæ pauciores, quæ congruunt Hebræis, in-
veniun-

[1] vid. *Monatlyche Unterredungen* A. 1693, p. 140.



veniuntur. M. ABRAHAMVS FRENCCELIVS (1) V. D. M. Schænaviensis in Lusatia luculenter ostendit, quemadmodum voces lingvæ Sorabicae s. Vendicae, ut vulgo eam vocant, ex Hebraicis ortæ sint, quarum ingens multitudo est. Qvicquid vero de illa commentatus est, non minus in hanc, quam in Polonicam lingvam optime potest convenire, cum sint surculi unius stirpis. Quin JO. HERBINIVS (2), quod ad lingvam Polonicam attinet, eundem fere laborem se suscepturum & CC vocabula in lucem prolaturum esse pollicebatur, quæ ex matrice Hebræa prodierunt. Quamvis autem promissis non steterit, tamen amplius L adfert, quæ clarissima ortus sui indicia esse possunt. Nolo hic multis conjecturis immorari, quibus facile quis assequi posset, quî factum sit, ut ex scaturigine illa tot voces hauserint Slavi pariter ac Poloni; si modo ea vera essent, quæ de Chazarmaveth sive Asarmoth, qui Sarmatis nomen ortumque dederit SARNICIVS (3) alique Historiæ Polonicæ scriptores tradunt. Hunc enim scimus fuisse nepotem Heberi, (4) qui solus morum paternorum tenacissimus, lingvam Hebræam incorruptam illibatamque servavit (5), quam a majoribus acceptam Asarmoth cum progenie sua Sarmatica

(1) Edidit T. I b. t. *Origines lingvæ Sorabicae, Budissinae Lusatiorum* 1693, seq in 4. qui duos tantum libros complectitur, utrum quoq; reliqui VIII. prodierint unquam, ignoro. Adjecit singulis vocibus Sorabicae non solum Bohemicae, sed etiam Polonicas, ex quibus harum origo Hebræa clarius dilucidiusve patebit.

(2) vid. ejus *Cryptas Kijovienses* c. 15, ubi promiserat Hebraismum Sclavono. Polonicum evulgare, conf. *Monathliche Unterredungen* An. 1693. p. 152.

(3) In *Annalibus sive rebus gestis Pol. & Lituan.* L. I.

(4) *Genes.* X. 25, 26.

(5) v. CL, V. D. IO. GOTTLLOB CARPZOVII *Crit. S. P. I. c. V. sect. 1.*

tica propagaverit, multis modis successu temporis deformatam, usque dum in eam, quæ Slavicæ & Polonicæ lingvæ inest, formam redigeretur. Verum nihil est, quod incertis, minimeque probabilibus æque incerta addantur.

Quamquam vero ad hunc fontem omnia reduci oportere existimo, tamen multa sunt, quæ immediate ex aliis lingvis dimanarunt, nec in ipsa lingua Slavonica, proxima Polonicæ stirpe, tam facile inveniuntur. Quin a veritate nihil alieni esse crediderim, si dixerò, multas res ab iis, qui olim hebraice loquebantur, nec auditas, nec ipsorum lingua appellatas fuisse (utut potuisse appellari non negem) quas vel recentior demum ætas vidit, vel diffitissimarum terrarum populi excogitarunt, quæ deinde satis longo intervallo ad nos pervenerunt. Verbi causa armorum, vestium, aromatum, arborum, fructuum, & animalium varia genera, & sexcenta alia. Hæc suis vindicanda originibus, ex quibus orta sunt: & si quis hac in re a me dissentiret, facile patiar, si modo concesserit, in iisdem ultimæ originis vestigia quædam multo luculentiora reperiri. Tali modo Persæ, Græci, Latini, Germani aliique multas voces sibi vindicant, quæ a Polonis vel civitate donatæ, vel aliquantulum inflexæ sunt. De lingua PERSICA mihi dubium non est, cum expendam ea, quæ DIODORVS SICVLVS memoriæ prodidit, sub Regibus Scytharum antiquissimis, qui imperium suum longe lateque protulerunt, missas esse colonias partim ex Assyria, quæ campos inter Paphlagoniam & Pontum sitos infederant, partim ex Media, quæ loca ad Tanaim fluvium occuparant, quarum populos Sauromatas fuisse appellatos. Quamvis autem id adfirmare non audeam, Sarmaticam gentem ab iis solis & initium & linguam habuisse, tamen vero admodum simile esse arbitror, quod mores & voces nonnullas a Medis acceperint, quorum

B

quoti-

quotidiana fere consuetudine utebantur. Illud ut non credam, variis adducor conjecturis, quæ valde probabiles sunt. Sarmatica enim gens, sive illa alio nomine appellata fuerit, in illis locis antiquissima semper habita est, cui, ut voce recentiori utar, lingua Slavonica quam diutissime familiaris fuit. Cujus rei indicio esse potest urbs vetustissima ad Mæotidem paludem sita, quæ *Sinope* vocabatur; quam vocem APOLLONII SCHOLIASTES (1) ita exponit, ut scribat, Thracum lingua bibaces *Sanapas* & corrupte *Sinapas* appellari. Quod vero ille Thracicæ lingvæ tribuit, in Slavonicam quam optime potest convenire, quemadmodum acute conjicit OTROKOCVS, (2) ita, ut *Sinope* idem sit, quod *sa napi*, sive, *napił sie*, potum se reddidit. Imo Lazi, a quibus ex sententia CL. V. D. GODOFREDI LENGNICHII (3) Poloni sive Polacy nomen ortumque trahunt, multo ante habitaverunt in Colchide, quam Medi in Pontum & Assyrii ad Tanaim fluvium profecti sunt. Hoc autem eo minus negari potest, quo magis varia vestimentorum genera, & voces quasdam veteris lingvæ Persicæ in Polonia hucdum residuas animo complector. Poloni enim togati more Persarum incedunt, atque olim vario armorum genere in bello utebantur, quæ Persarum armis simillima erant. Quod ipsa confirmant vocabula, quæ Poloni hodie usurpant. Ita *Szarawary*, Lituanice *Szarawury*, sunt caligæ sinuosæ & usque ad plantas pedum demissæ, ita, ut femora & crura iisdem protegantur, quibus Poloni equis insidentes, ne promissæ vestes ipsis impedimento sint, utuntur. Quod & voci Persarum *Sarabara* & eidem fere vestitus generi congruit, cujus

SVIDAS

[1] In Lib. II. Apoll. v. 955.

[2] v. Orig. Hung. P. II. c. 12. p. 90. 91.

[3] conf. ejus Polnische Bibliothec Vol. II. p. 19.

SVIDAS mentionem facit, atque RELANDVS (1) in eundem fere modum illum describit. *Kopia* Polonis *hasta*, Persarum lingua *Copis* appellatur, ut CVRTIVS (2) & BVRTONVS (3) testantur. *Siekiera*, *securis*, quae vox licet latinae affinis sit, tamen a Persico *Sagaris* eo magis derivanda, quo vetustior hæc lingua illa est. Fuisse autem Persis & Amazonibus hoc telum commune, XENOPHON autor est. (4) *Drabant*, custos corporis regii, BOXHORNIO (5) videtur posse deduci ex Persica voce *Satrāpa*, quo nomine, qui eodem munere defuncti erant, a Persis appellabantur. Idem voces *Tachotek* & *Pokoiovy* derivat a Persico *Bagoæ* (6) qui erant nobiles pueri, pedisequi Regum Persarum, ex quo sine dubio gallica vox *Pagie* orta est. Ita *pieprz*, a Persarum lingua descendit, quibus *piperi* idem est, ut HIPPOCRATES (7) adfirmat. *Vczta*, convivium solemne, ex nulla lingua facilius derivari potest, quam ex Persica: Persis enim *Tista* erat convivium, quod eo, quo natus erat Rex die, quotannis solebat apparari. (8) Pari modo *Nana*, quo nomine infantuli nostrates matres vocitant, a Persico *Nane*, quod idem

B 2

signi-

(1) in *Diss. Miscell. P. II. p. 229.* & IO. HENR. von SEELEN in *not. ad GVIL BVRTONI λείψανα veteris linguae Pers. p. 79. 80.*

(2) L. VIII. c. 13.

(3) v. ejus λείψανα veteris linguae Pers. p. 32. (4) BURTONVS L. c. p. 78.

[5] conf: ejus *Ep. de Persicis Curtio memoratis vocabulis, quae adjecta est BVRTONI modo commemorato libro, p. 137, invenitur etiam illa in editione CVRTII Blancardiana.*

(6) L. c. p. 140. 141.

(7) L. H. γοναίη. conf. BVRTON. l. c. p. 73.

(8) BVRTON. l. c. p. 93.

significabat, ortum ducit (1) : nec non *Sobaka*, quo nomine canes appellamus, a Persico *Spaca*. HERODOTVS a Medis IUSTINVS (2) a Persis canes sic vocari solere scribunt: unde patet, Medos eadem, qua Persas, lingua usos fuisse. Quid dicam de his vocabulis *Brat*, frater, *Mysz*, mus, *Ziemia*, terra, quorum origo una cum significatione in his *Berader*, *Musch*, *Zamin* facillime reperitur. Qui plura consuetari cupit, ei ad hanc operam non parum adiumenti adferre poterit EDVARDI BERNARDI *Etymologicum Britannicum* (3) in quo vocabulorum Anglicorum & Britannicorum origines Russicas, Slavonicas, Persicas & Armenicas persecutus est.

De lingua GRAECA tametsi multa habeo dicere, tamen brevi comprehendam. Profecto si quæ lingua Slavonicæ sive potius Polonicæ cognatione propior est, maxime Græca, ut SALMASIVS (4) non dubitarit adfirmare, *plura Græcos debuisse Scythicæ origini* : hoc enim nomen non minus in id genus hominum, quam in incolas Mœotidis Paludis, qui erant Slavorum progenitores, cadere potest. Illud quam verum sit, nunc dispicere nolo, hoc tamen in dubium vocari nequit, quin & Slavonica & Græca lingua coniunctissimæ sint filia matris utriusque communis, quarum mirum concensum & consensionem SIGISMVNDVS GELENIVS (5), additis Latinis Germanicisque vocabulis, ostendit. Quocirca etiam

(1) RELANDVS *l. c.* p. 200.

[2] *l. c.* 4. conf. BURTON. *l. c.* p. 85.

(3) Annexum est illud *Institutionibus Grammaticæ Anglo-Saxonice & Maso-Gothicæ*, quas GEO: HICKESIVS *Ecclesie Anglicanæ Presbyter Oxon.* 1689. 4. edidit. Vberius ista deinceps exposuit in *lib. cui titulus est: Orbis eruditi literatura & Characteres Samaritico deducta*, qui prodiit Oxon: 1689. f.

(4) v. *Præf.* eius in *Tabulam CEBETIS Arabicam*.

(5) conf. eius *Lexicon Symphonieum*, quod Basil. 1537. 4^{to} prodiit.

etiam MORHOFIO (1) displicuerunt ea, quæ de quatuor Europæ matricibus, ut vocat, maioribus SCALIGER commentatus est, ac si Græca & Slavonica, quibus adiungit Latinam & Germanicam, ita inter se differrent, ut ipsis nulla secum cognatio sit. Hoc non obstante omni ratione confirmare audeo, non exiguam vocum multitudinem a Græcis consecutos esse Polonos, quæ ipsorum lingua exprimi non possunt. Cum enim literis operam dare & animos mentesque ipsa doctrina Christiana & vita elegantiori omni animi contentione conformare incepissent, multæ res & scientiæ ad eos pervenerant, quæ fugiebant illorum maiores. Has autem eodem nomine signarunt, quo ab aliis gentibus appellabantur, nisi quod ad indolem linguæ suæ illas paululum inflexerint. Verbi gratia, *Mnich* μοναχός, *Archiepiscopus* ἀρχιεπίσκοπος, *Kielich* κύλιξ, *Chrzest* & *Chrześcianin* a verbo χρίω ungo, *amentarz* κοιμητήριον, *Cbur* sive *Chor* χορός, *anioł* ἄγγελος, *Diabel* διάβολος, *Klerik* κληρικός, *Filozof* φιλόσοφος, *Lakryca* γλυκύριζα, *Dryakiew* θηρίακὴ, *Imber* ζυγγίβερ, *Cynobr* κιννάβαρι, *Kryształ* κρύσταλλος, *Cynamon* κινάμωμον, *Koral* κοράλλιον, *Migdat* ἀμύγδαλος, *Dragma* δραχμή, *Cymbal* κύμβαλον, *Dryfus* τρίπους, *Papier* πάπυρος, *Iatmużna* ἐλεημοσύνη, sexcenta præterea alia, quæ clarissima ortus sui indicia sunt.

Pari modo sat magnam vocabulorum partem lingua LATINA sibi vindicat, a quibus hodie ipsi Poloni, qui limatiori elegantiorique dicendi vel scribendi generi operam navant, non plane abhorrent. At multa vitio, non pauca necessitate irrepsisse certum est, quibus paupertas, si qua est, linguæ Polonicæ esset sublevanda. Non indigebant veteres istauium opum, cum lingua latina in Polonia negligentius coleretur. Postea vero quam omnes ad eam condiscen-

B 3

dam

[1] in Polyb. T. I. L. IV. c. 3, §. 10.

dam animos impensius solertiusve adpulerant, plerisque adeo in deliciis fuit, ut stilo permisto vocabulis modisque loquendi latinis, polonice scripturi, uterentur: unde hoc genus dicendi a nonnullis, sed minus apte, lingua Macaronica vocari solet. Eodem vero tempore plerorunique vocabulorum usus invaluit, quæ multarum rerum necessitas requirebat. Jam non loquor de iis, quæ pure latina, sed quæ origine duntaxat talia sunt & ad indolem lingvæ Polonicæ flectuntur. Huius generis sunt sequentia: *Msza* missa, *Animusz*, *krucyfiks*, *Febra* febris, *Klasztor* claustrum, *Dygnitarstwo* dignitas, *Arkusz* (*Papieru*), *Humor*, *Akwawita* aqua vitæ, *Laternia*, *Jurydyka*, *Kaptan* Capellanus, *Fluks* & *Fluksowaty* a fluo, *Bigos* i. e. biscocta (caro) *konwalia* Convallium, *Hatum* alumen, *Oltarz* altare, *Biskokt* biscoctus (panis) *Cyrkiel* circulus, *Materia*, *Kasztelan* (1), *Mocya*, *Kryminat*, *Inwentarz*, *Prowizya* (interesse) *Fioltek* viola, *Barwierz* a barba, *Cela* cella, *Kaduk* caducus, *Familia*, *Eksemplarz*, *Bestya*, *Forteca*, (locus munitus) a voce fortis, *Kalenda* Calendæ, *Fundacya* & alia, quorum infinita multitudo est.

Quid tandem de lingua GERMANICA dicendum? ORICHOVIVS (2) & alii, qui res gestas polonorum monumentis annalium mandarunt, plane inficiantur, ulla germanici sermonis vestigia in Polonica lingua apparere. Num contra CL. V. JO. PETRVS KOHLIVS (3) & alii, qui plane fin-

(1) *Castellanus* CICERONI & LIVIO adjectivum est & significat id, quod ad castellum pertinet, recentioribus v. nomen dignitatis est. v. CNAPII *Tthesaurum Polono-latino-græcum*.

(2) *In Annalibus* p. 4.

(3) *conf. ejus Introd. in Hist. & rem literariam Slavorum imprimis sacram* L. I. c. 1 §. 2 p. 8. not. b. quæ novissime prodiit *Altona-*

ne singularem Slavonicæ lingvæ & Germanicæ concentum summopere extollunt, rem acu tetigerint, mihi tantum non fumo, ut eius rei iudicium faciam. Si quid autem iudicare possum, sic de hac re generatim sentio, vicinitatem Germaniæ & Poloniæ propinquam, commercia, quæ inter utramque gentem intercedebant frequentiora, & bella, quibus se invicem sæpissime laceſcebant, maxima, effeciſſe, ut non solum vetustior lingua Polonica sensim obſoleſcere ac quotidie cultior fieri inciperet, verum Poloni etiam ob modo commemoratas causas Germanicis præter Græca & Latina vocabulis adſveſcerent, eademque ſuſciperent quasi in civitatem. Necdum enim eo adduci possum, ut credam, vocabula, quæ Germanicæ originis eſſe videntur, antiquiſſima eſſe, quæ iam a Slavis, gente vetuſtiſſima, uſurpata aut matre utrique communi profecta fuiſſent. Certe ſi cogitatione ſingula & mente complector, ita comparata eſſe invenio, ut ſint clariffima indicia temporum recentiorum, & ab iis maxime diſtent, quorum originem una vel altera tantum vocis litera ſolet indicare. Hoc de lucide patebit ex his, quæ ſpeciminis loco adfero, quum illorum inſignis copia eſt. Quid enim hiſce clarius eſſe poteſt? *Fortel* Vortheil, *Czynsz* Zinſe, *Dyſzel* Deichſel, *Bukſzpan* Buchsbaum, *Malarz* Mahler, *Kunſzt* Kunſt, *Gwalt* Gewalt, *Filar* Pfeiler, *Kiermaſz* Kirmeſſe five Kirchmeſſe, *Glanc* Glantz, *Folwark* Vorwerck, *Bobr* Bieber, *Arckacermiſtrz* Errz-Ketzer-Meiſter, *Ocbmiſtrz* Hoffmeiſter,

vix 1729, 8vo. Spem inſuper fecit clariffimus Vir, qui in academia ſcientiarum, quæ nunc Petropoli floret, Hiſt. Eccleſ. & Human: literar. Profeſſor eſt. ſe plura ingenii & antiquitatis monumenta quæ hiſt. literariam & linguam Slavonicam illuſtrent, in conſpectum lucemq; publicam prolaturum eſſe.

ster, *Marszałek* Marschal (1), *Cekauz* Zeughaus, *Farmusaka* warme Muse, *Burztyn* Birnstein, *Grabia* sive *Grof* sive *Hrabia* Graf, *Kieruię* ich kehre, *Halapart* Hellepart, *Fiszole* Fisch-Holtz, *Antwas* Handfasz, *Los* Loosz, *Kleynot* Kleinot, *Cel* Ziel, *Fara* Pfarre, *Grunt* Grund, *Granica* Grentze, *Fraucmer* Frauenzimmer, *Hastuię* ich heffte, *Jurgielt* Jahr-Geld, *Szturm* Sturm, *Hamuię* ich hemme, *Cyna* Zinn, *Fant* Pfand, *Blacha* Blech, *Buda* Bude, *Balka* Balcken, *Maszt* Mast, *Ninog* Neun-auge, *Lina* Leine, *Ksztalt* Gestalt, *Laszt* Last, *Mosiadz* Meszing, *Handel* Handel, *Burmistrz* Burgermeister, & id genus alia. Hęc quodammodo declarant, quantum Poloni debeant Germanis, a quibus non solum ista, sed pleraque etiam vocabula originis gręcę & latinę, quę apud eos reperiuntur, consecuti sunt; hisce enim nonnunquam in eadem ferme, qua Germani, significatione (2) & flexione (3) utuntur: quę singula digna sunt, ut uberius copiosiusve alio loco exponantur & illustrentur.

Atque

(1) *Quod hac vox sit originis Celticę s. Germanicę, ostendit luculenter du FRESNE in Glossario. Mabre enim significat equum & Schalk ministrum, idemq; est, quod stabulo prefectus. Quod autem a Germanis hocce nomen dignitatis mutuati sint Poloni, dubium non est, quoniam antiquioribus illud plane ignotum erat.*

(2) *Kalęda latinis Calende, quid apud Latinos hęc vox significet, inter omnes constat, at Poloni alio significatu, quo Germani, eam usurpant, cujus generis plures voces adferri possent.*

(3) *Cukier, gr. σακχαρ sive σακχαρον, Cytra gr. κινθαρα, Dryfus τριποις, Imber ζυγυβερ, Lakrycia γλυκυρριζα, item Kiasztor claustrum, Barwierz a barba, kwartal, Marcepan, sine dubio originis gręcę & latinę sunt, & tamen ita sunt inflexa, ut a Germanis profecta esse pateat, Zucker, Cyther, Dreyfusz, Ingber, Lackritze, Kloster, Barbier, Quartal, Marcepan.*

Atque hæ sunt origines lingvæ Polonicæ, quas existimo esse plures, quam unam, si diversas ejus ætates animo comprehendo. Non solum enim considerandam esse duxi, quemadmodum in matrice sua, utpote lingua Slavonica, delitescerat, verum etiam quemadmodum ex ea progenita & post multas vicissitudines eum, quem nunc habet, nitorem adeptæ est. Hoc modo opus non est, unam consecrari originem operosius & ad eam tanquam ad saxum adhærescere. Verum hæc omnia VESTRO potius stare malim iudicio VIRI MAXIME PLVRIMVMQVE REVERENDI, quam meo, qui ipse ne quidquam audeo temere adfirmare. Nec admodum laborabo, si VOBIS displicebunt cogitationes meæ, quas ipse scio, quam sint deformes & immaturæ: si modo id me affecutum esse cognovero, VOBIS probari hocce conatus declarandi studium voluntatemque meam, quam summis beneficiis in perpetuum VOBIS divinxistis. Quod si enim præteriti temporis memoriam recordor ultimam, præclara singularis VESTRAE in me benevolentia documenta video semper extitisse, atque adeo, ut ad studia mea, quæ unius VESTRVM hortatu consiliisque susceperam, promovenda, omnem opem & auxilium, quoad eis alibi obsequabar, contuleritis pro VESTRA præstanti in me liberalitate. Nec cessavitis deinceps, MAECENATES GRATIOSISSIMI, me aliis atque aliis beneficiis ornare, quæ ex proluxa VESTRA in me voluntate quotidie magis proficiscuntur. Quemadmodum autem meam tantorum erga me beneficiorum memoriam nulla unquam oblivione deleri passus sum; ita hoc veluti publicum aliquod grati memorisque animi signum extare volui. Ut autem id, quod mihi diutius incumberat, jam explerem, præsens a me requisivit tempus, quo novum ingredimini annum perquam auspicato. Est ille profecto

C

tanto







tanto lætior, quanto gratior illius rei memoria recurrit, quod ducentis abhinc annis summa doctrinæ cælestis purioris publice prælecta, consensu tot Principum approbata, legibus corroborata & longe lateque per totum orbem sparsa fuerit, ita, ut in ipsa Polonia avide exciperetur. Felicitati igitur VESTRAE merito congratulandum, ætatem VESTRAM ista attigisse tempora, quibus tanti beneficii divinitus collati memoriam gratissimis animis omnes boni prosequuntur. Faxit ergo NVMEN immortale, ut ille VOBIS sit tam felix, quam exoptatus: nec quicquam concedat, quod fortunas VESTRAS & vires corporis æque ac animi laceflere possit: addat IDEM robur menti, firmitatem corpori, perpetuitatem vitæ, quo sine ulla offensione fortunæ hoc aliisque innumeris annis ad utilitatem cœtus diviniore, rei literariæ ornamentum & VESTRAE splendidissimæ Familiæ omniumque bonorum commodum quam amplissimos adferre fructus possitis. Si id, ut firmiter credo, benignitas divina in VOS elargita fuerit, spem certissimam habeo, fore, ut etiam insignem VESTRVM favorem, quo me immerentem hucusque benevole complexi estis, erga me quam diutissime & constanter conservetis, qui VOS revereor maxime & in primis in perpetuum reverebor. Dabam Thorunii d. 1. Januar. MDCCXXX.



Pol. 8. II 1366







digitalizacija

